

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Benedictus VII. Dict. VIII. Quia licet &c. Theodorico Trevirensi  
Archiepiscopo: quô ei in posterum honestum Hospitum Romæ sisteret.  
Cellam quatuor Coronatorum ei, ejusque successoribus utendam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](#)

A N N O  
969.

rabiliū Patrum inviolabiliter statuta, & confirmata, nostro minuatur ac pereant tempore, sed potius corroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoque omnium veltrum nosse volumus sanctitatem & industriam, quod Theodosio dilectissimo fratre nostro Trevirensis Ecclesie Archiepiscopo veniente Romam, oratum ad sanctorum Apostolorum limina, audivimus, sicut etiam pridem audiendo, immo & legando, contemptum habuimus, eandem ipsam praeterea ceteris Galliarum Ecclesiis, Christianae Religionis exordium, Catholicae que Fidei prima rudimenta percepisse, per sanctissimorum virorum Eucharistii, Valerii, & Materni, & ceterorum Evangelicam doctrinam, quos tempore suo, praedictus beatissimus Petrus Apostolus ordinavit & instruxit, necnon illuc ad praedicandum direxit. Unde totius Ordinis nostrae sedis Apostolicae consulti, gratuitoque assensu, iura privilegiorum quae a sancta Romana matre Ecclesia prefatis sanctis, eorumque reliquis Successoribus, id est, Agricolo, Maximiano, Paulino, Severo almissis & Apostolicis Viris, a primordio hucusque autentice concessa sunt; quaque etiam ipsius civitatis excidio, incendio, aliisque casu consumpta probantur, eidem Trevirensi Ecclesiae praedictoque fratri nostro Theodosio, & per eum cunctis ipsius successoribus, reconfinare, recorborare & omni modo restituere dignum duximus; decernerentes per hujus nostri Apostolici Privilegii validissimam constitutionem; ut quandocunque a nostra principali & Apostolica sede Episcopus Presbyter vel Diaconus, vel Subdiaconus, sive quilibet Ordinariorum Legatus rei Ecclesiasticae seu cogendae Synodi caui, in Galliam Germaniamve destinatus fuerit, Trevirensis Praefectus quilibet Ordinariorum Legatum a S. pri-  
mum inter alios Pontifices locum obtineat. Et si missus Romanae Ecclesie defuerit, similiter post Imperatorem sive Regem sedendi, sententiam edicendi, & Synodale judicium Canonice promulgandi primatum habeat; utpote in illis partibus Vicarius nostrae sedis Apostolicae merito constitutos. Neque enim dignum est ut illius Ecclesiae Praefectus aliquo tempore ceteris non habeatur Praefatus, cujus honor in illis partibus sub ipso Apostolorum Principe extitit primitivus. Pari quoque modo sancimus omnes in Parochiis ejus degentes, sive ordinationem & promotionem cuiuslibet Ecclesiastici gradus, a Pontifice ipsius percipientes eidem ipsi matrici Ecclesiae, Episcopoque illius debere Canonice placere, obsequi. & Jure obedire. Siquidem decreto B. Clementis Papae, super hoc iusta cautum videtur: Si vobis Episcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ac reliqui Clerici cuncti, omnesque Principes tam majoris ordinis quam inferioris, atque reliqui populi tribus & lingua non obtemperaverint, a liminibus sancte Dei Ecclesiae alieni erunt, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Inter haec quoque omnia, quae ad sepe dictam Trevirensim Ecclesiam intra & extra civitatem pertinere videntur: Id est Ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu Monasteria tam Monachorum, quam Virginum, qua ex praeciptis, sive scriptis Regum seu Imperatorum, sive eorundem fundatorum auctoritate, ad se pertinent, & pertinere debent & quidquid omnino illa ipsa Ecclesia ubique, & quoquo merito possider, & possider debet, generaliter & specialiter concedimus; reformamusque praefato Theodosio fratri & Coepiscopo nostro suisque successoribus ad perpetuam sanctam Trevirensis Ecclesiae donationem atque dictationem, per hujus nostrae Apostolicae praceptio-  
nis seriem a praesenti XII. Indictione & usque

ad finem saeculi valitaram. Contra quam si quis quid quilibet modo agere presumperit, & quod justè & Canonice à nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei Omnipotencis & praedicti beatissimi Apostolorum Principis omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate dammandum, & anathematizandum, & cum omnibus impiis æternis suppliciis deputandum. Qui vero hoc privilegium nostrum observare, custodire, adimplere fideliter studuerint, benedictionis gratiam & misericordiae plenitudinem in cælestibus castris inter Electorum numerum efficaciter à Domino Deo consequi mereantur. Scriptum per manum Stephani Notarii & Regionarii & Scrinarii sancte sedis Apostolicae in mense Januario & Indictione XII. Data XI. Calendas Februarii per manum Sicconis Episcopi sanctæ N. Ecclesie ad vicem Guidonis Episcopi & Bibliothecarii sancte sedis Apostolicae, Anno Deo proprio, Pontificatus Domini Joannis Pontificis & universalis XIII. Papæ in sacra-  
tissima sede D. Petri Apostoli IV. Imperii autem Domini Ottonis majoris VII, minoris vero II. & Indictione XII.

A N N O  
974.

## BENEDICTUS VII. DICT. VIII.

## PONTIFEX CXLVII.

A N N O D O M I N I M X I I .

Benedictus Romanus Comitis Tusculanus Filius, à quo S. Stephanus Hungariae Rex regium nomen, & Diadema obtinuit. Hac tempestate Corpus S. Bartholomei Apostoli ex urbe Beneventana Romæ in Insulâ Tiberinâ collocatum fuit. Novem ferè annorum Pontifex ab anno scilicet 975. ad 984. quod obiit. (*Magni Bulvarii Romani Tom. I. fol. 23. hujus Edit. Luxemb. 1727. App.*)

Ex Annal.  
Trevirensi  
Brovveri &  
Malemi  
Tom. I.  
p. 476.

Theodorico Trevirensi Archepiscopo, quod ei in posterum honestum Hospitium Romæ sisteret, Cellam quatuor Coronatorum ei, ejusque successoribus utendam perpetuum adscribit: anno 974.

## BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratibus, universis Episcopis, ac totius Dignitatis, & Ordinis Catholicis Viris, presentibus scilicet & futuris, perpetuam salutem.

Quia licet indigni, divina tamen dignationis gratia disponente B. Petri Apostolorum Principis sacratissimam sedem, pastoralesque in curam Domini gregis ministerium suscepimus, juxta Apostolicam doctrinam, sicut malis terrorine desideria pravitatis suæ perfriciant, nos oportet existere, ita sanctæ Dei universalis Ecclesiae filios, in Religionis piæque devotionis festu, paternæ gratiæ benedictione fore; maximeque eos, qui in Sanctam Romanam Ecclesiam, beatumque Petrum Apostolorum Principem ceteris devotores probantur: quatenus eis, pia fui devotio, & in praesenti benignitatis conferat consolationem, & in futuro æternam, ipso intercedente remunerationem. Unde omnium, tam praesentium quam futurorum sanctitatem & industriam nosse volumus, de Sancta fratris nostri

Theodorici,

ANNO  
974.

Theodorici, Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Primitusque, nostra prædecessorumque nostrorum, ab exordio Christianitatis per Beatum Petrum constitutione, totius Galliae, & Germaniæ in eundem Apostolorum Principem devotione qui in sua Sede, Ecclesiæ Christi gloriofus gubernando multa Monasteriorum, quæ usque in sua tempora manserunt deserta, restaurando beatorum Apostolorum limina cæteris sæpius nullo longioris via periculo seu labore teritus, liberalissime visitando, nobis usque eo complacuit, ut eidem Theodorico & ipsius Ecclesiæ possidenda in perpetuum aliqua, conferre justum duceremus, quatenus ut prefati sumus, pro tanta sui devotione, à nobis gratiam, & benedictionem in presenti, & in futuro à Deo beatisque Apostolis, centuplicatam in Cœlestibus recipere gloriam. Quia propter omnium tam præsentium quām futurorum notum fieri volumus industria, nos cum auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, gratuitoque Sacerdotum Clericorum totiusque Romanæ Plebis afflensu, eidem Sanctæ Trevirensi Ecclesiæ, cellam quatuor Coronatorum condonasse in perpetuum possidendam cum omnibus appendicis suis, aquis scilicet aquarumque decurribus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis, & incultis, curtilibus & mansis. Quæ omnia eidem fratri nostro Theodorico Sanctæ Trevirensi Ecclesiæ Archiepiscopo Vicarioque nostro carissimo, in partibus totius Galliae & Germaniæ, ac per eum, cunctis successoribus in perpetuum possidenda, tenenda, ac ordinanda per hujus nostræ Apostolicæ præceptio-nis seriem tribuimus, quæcumque eadem cella ex diversis fidelium donationibus autenticè secundum Legem Romanam possideret, vel jure possidere debet, data videlicet, & usque in finem seculi quoquo pacto danda, seu per violen-iam inimicorum eidem cella ablata, seu per incuriam commorantium in eadem cella ablata, ex integrō, & ad integrum eidem Fratri nostro Theodorico Trevirensi Sanctæ Ecclesiæ Archiepiscopo dignissimo nostro Vicario in partibus totius Galliae & Germaniæ Universi que successoribus suis per eum à presenti die, Indictione tertia, Beati Petri Apostolorum Principis nostraque permittimus autoritate. Contra quam si quis hominum quolibet modo agere præsumperit, & quod justè, ac Canonice à nobis decretum est, in aliquo infringeret tentaverit, sciat se ex Dei Omnipotenti, & prædicti beatissimi Apostolorum Principis, omniumque Sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum, anathematizamus, & cum omnibus impiis æternō supplicio deputandum. Qui vero hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere, fideliter studuerit, benedictionem gratiam, & misericordiæ plenitudinem in Cœlestibus Castris, inter electorum numerum efficaciter à Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii & Scrinarii Sanctæ Sedis Apostolicae mense Januario, Indictione III. Data X V. Calendas Februarii per manum Vidonis Episcopi & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolice. Anno Deo proprio, Pontificatus Domini nostri Benedicti Sanctissimi V I I. Papæ primo. Imperante domino piissimo Imperatore Augusto Otrone, à Deo coronato, magno anno VIII. Indictione tertia.

LEO NONUS

ANNO  
1054.PONTIFEX CLIV.  
ANNO DOMINI MXLIX.

LEO prius Bruno dictus, Romæ, Re- mis Moguntiae Synodos celebravit, contra Clericorum Simoniam, Conjugia, & Concubinatus. Concilium Romæ contra Berengarium celebravit. Errores Græcorum condemnavit, anno 1053. Legatis Constantinopolim missis. Obiit an. 1054. sepultus in Vaticanos; at quod scribit Burius in ejus vita ad ipsius tumulum in Vaticanano coruscare miracula fateor ego ut qui Roma continuò degam, neque ulla unquam vidisse, neque alios narrantes audivisse triginta ab hinc annis. (Magni Bul- tarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 24. App.)

Confirmat Privilegia Ecclesiæ Coloniensis, & Hermanno Archiepiscopo, ejusque successoribus concedit titulum Cancellarii S. R. Ecclesiæ, & Cardinalis S. Johannis ad Portam Latinam, in Ecclesiæ verò Coloniensi creat septem Presbyteros Cardinales, totidemque Diaconos, ac Subdiaconos: anno 1054.

LEO EPISCOPUS,  
Servus Servorum Dei, Hermanno S. Coloniensis Ecclesiæ Venerabili Archiepiscopo, suisque Successoribus, illuc canonice intransitibus, salutem in perpetuum.

G Ratias agimus Deo, & Domino nostro Jesu Christo, qui nullis nos præcedentibus meritis ad Apostolicæ dignitatis culmen fecit ascendere, & sollicitudinem omnium Ecclesiæ gerere, earumque rectoribus pietatis afflensu præbere.

Quia postulasti à Romana Sede confirmari privilegia, quæ ab Antecessoribus nostris sunt tua Ecclesiæ concessa, visum nobis fuit honestum, & Ecclesiæ necessariorum petitioni tua consentire.

Præfertim cum Ecclesia hæc sub nomine Principis Apostolorum Beatissimi Petri sit consecrata, sicut mater sua, cui præsidemus di- vina clementia, ut quæ matrem imitatur, ex nomine filia, iniicitur etiam aliquantis per in dignitate Ecclesiæ, protegaturque sub aliis defensionis suæ. Nos igitur tua, sicut & omniū Chilii fidelium devotione iniciati, nostra & Apostolica auctoritate confirmamus tibi omnia, quemadmodum in privilegiis Patrum nostrorum Apostolicorum virorum sunt scripta: Crucem videlicet, & Pallium suo tempore, suoque loco ferendum, insigne quoque suffici equi, quem haccum vocant nostri Romani.

Confirmamus quoque tibi per hanc præcep- tionis nostræ paginam Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cancellaturam, & Ecclesiæ S. Joh. Evangelistæ ante Portam Latinam, ut te Petrus Cancellarium habeat, Johannis hospitium præbeat.

Concedimus etiam, atque perpetuò largi- mur, ut majus altare Ecclesiæ sue Matris Vir- ginis honori dedicatum, & aliud ibidem Apof- tolorum Principi B. Petro addictum, veneran- ter ministrando procurent septem idonei Car- dinales Presbyteri Dalmaticis induti, quibus etiam cum totidem Diaconibus, ac Subdiaco- nibus ad hoc ministerium prudenter electis,

Ex Oper. Diplom. Mirai Tom. II. pag. 1131.

ut